11

OFFICIA PROPRIA SANCTORVM ECCLESIAE PVTEOLANÆ.


ET POST VNVM DIEM
FLANTE AVSTRO
SECVNDA DIE
VENIMVS
PVTEOLOS
VBI INVĒ
TIS FRA
TRIBVS
ROGATI SVMVS
MANERE APVD
EOS DIES
SEPTEM, ET
SIC VENI
MVS RO
MAM.
Act. Apost.
Cap.
XXVIII.
OFFICIA
PROPRIA
SANCTORVM
ECCLESIÆ
PVTEOLANÆ
A
SACRA
RITVVM
CONGREGATI
ONE
APPROBATA.
Romæ ex Typographia . Reu . Cam . Apost . superioru permissu . 1649

Et cum venissemus Syracusam mansimus ibi triduo, inde circumlegentes, venimus Rhegium, & post vnū diem, Flante Austro, secunda die venimus Puteolos; Vbi inuentis Fratribus, rogati sumus, manere apud eos dies septem; Et sic venimus Romam. *Act. Apost. Cap. xxviij.*

Illustriſ. & Reuerendiſs. Dom. D.

FR. MARTINO DE LEON, ET CARDENAS,

Ex ſacra Eremitarum S. Auguſtini Familia,

Primùm Epiſcopo Puteolano, deſignato deinde Catanenſi, & demùm Archiepiſcopo Panormitano,

Summi Pontificis Aſsiſtenti, Regi Catholico ab arcanis conſilijs Regni Neapolitani.

Illuſtriſsime, & Reuerendiſsime Domine.

BEnè accidit Eccleſiæ Puteolanæ cum te Rectorem accepit, cui non ſolum animabus inſtruendis, ſed & templis inſtaurandis, deſtructæque vrbi reſtituendæ, perpetua fuit ab ipſo ingreſſu ſollicitudo. Nobilis, & vetuſta Ciuitas, olim florentiſsimæ prouinciæ caput, atque inde *Di-*

cearchia, nuncupata, temporum iniuria, hostiumque incursionibus suis ruinis sepulta, per Te cæpit resurgere. Ciues tributis exonerasti, vrbi Regios fauores conciliasti, sitientem populum copiosa aqua exhilarasti, impendenti nuper vrbis excidio temetipsum tanquam murum opposuisti, miles scilicet, & Pastor effectus, vt commissas oues Deo pariter, & Regi conseruares. Hæc etsi magna sint, maiora supersunt. Gentem afflictam pastoris cura diù destitutam, longa annorum serie tua consolatus es præsentia, atque ad Catanensem, & Panormitanam Ecclesias dignitate nobiles, censu locupletes adscitus, ægrè pateris à Puteolana diuelli, cui primos, castosque amores consecrasti. Hanc in sacri connubij primordijs tanquam sponsam summè dilectam monilibus, & pretioso ornatu decorasti, mox ampliori dote, auctis etiam ministris fœcundasti, & demum senescentem potenti amoris virtute ad vegetam iuuentam reuocasti. Vetustum templum, obscurum, squalidum, ruinæ proximum; luminosum, pulchrum, magnificum effecisti, & à fundamentis renouasti; in hæc, atque in egenos subleuandos, infirmosque curandos distracta vniuersa reddituum substantia. Nihil Tibi reliquisti, vt pauperibus benè esset, & Ecclesiæ venustati nihil deesset. Hoc verè est omnem adimplere iustitiam, boni Prælati partes vniuersas obire, & Pastoralis officij cursum perfectissimè consummare. Postremò, ne quidpiam desiderari posset, stabilitis sedibus, erectis altaribus,

nobi-

nobili collocata ſacello ſanctiſsima Euchariſtia, ſacris reſtitutis monumentis, Diuorum Tutelarium memorias penitus extinctas adhibito doctiſsimorum virorum ſtudio, è tenebris eruiſti, erutas collegiſti, atque vt collectæ cultum acciperent Eccleſiaſticum, incredibili pietatis ardore Eminentiſsimos Sacrorum Rituum Præfectos es deprecatus. Placuit Tibi ob veterem noſtram amicitiam, ſeu vt religioſius loquar, propter tuam erga me humanitatem, eam mihi commendare prouinciam, vt iſtorum Sanctorum Acta ad normam Eccleſiaſticarum Lectionum reducerem, & cauſam in Sacra Congregatione, cuius conſultationibus interſum, diligenter promouerem. Iam tandem repetitis precibus, aſsiduoque labore vniuerſis Actis ad amuſsim diſcuſsis, omnia à ſacro cætu approbata in hunc coaluerunt libellum, quem nitidiſsimis Vaticanis typis excuſum, Tibi debitum, ad Te mitto, vt ſuum cognoſcat authorem, & Eccleſia tua habeat quod gratuletur, aliarum Eccleſiarum Prælati, quod æmulentur, plurimi quod inuideant, vniuerſi quod admirentur. Vale ex Collegio Romano S. Iſidori fratrum Minorum Hibernorum 8.Kal.Maij anno 1649.

Ill.^{mæ} & Reu.^{mæ} dominationis veſtræ

Humilis in Chriſto ſeruus

Fr.Lucas VVadingus.



Diui Ianuarius, et Proculus Fidelissimæ Ciuitatis Putrolanæ Tutelares Vna cum Socijs Martyribus Putrolanis Quorum picta extat Imago in Ara maiori eiusdẽ Cathedralis Eccl.æ

Die xjx. Septembris.

FESTVM SANCTI IANVARII EPISCOPI, ET MARTYRIS PVTEOLANI

Patroni, & Tutelaris eiusdem Ecclesiæ, Ciuitatisquè,

Officium vt in Breuiario Romano.

Die xvj. Februarij.

IN FESTO SANCTI ONESIMI EPISCOPI, ET MARTYRIS.

SEMIDVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

ONesimus Ephesiorum Episcopus, quē Sanctus Ignatius Martyr præclarè commendat, primum B. Philemonis seruus, deindè S. Pauli charissimus discipulus, cum Colossis Romam venisset, ad Apostolum, Domini sui præceptorem, accessit, à quo fidei Christianę lucem, & baptismi beneficiū accepit. Ad herum redeunti prædicationis verbū commisit Apostolus, & Epistolam ad Philemonem tradidit propria manu conscriptā, in qua filium, fratrem, & viscera suas his verbis compellat Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem, & mihi, & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, vt mea viscera suscipe, quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij. Illum recipe iam non vt seruum, sed pro seruo charissimū fratrem, maximè mihi.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

DIgnum porro se tanti magistri probauit Onesimus discipulum, multis ete-

nim peragratis regionibus, cum Christi fidem propagasset, & Ephesiorum Ecclesiam post S. Timotheum regendam suscepisset, propter eiusdem fidei confessionem Romam ab Asiæ Proconsule missus oratione, & ieiunio se ad pietatis stadium, & Martyrij agonem præparauit. Coram Tertullo Præfecto indè vehementius accusatus, quod vxorem fratris sui Christi fidem, & continentiæ virtutem docuisset, tanquam impius præstigiator ad tribunal sistitur, vbi simulachrorũ cultus vanitatem, & Christianæ fidei veritatem constanter asseruit. Hinc in tenebrosum coniectus carcerem, varijsque per viginti fermè dies afflictus tormentis, vt ad impietatem Christi fidem traduceret, cũ nihil carnifices proficerent, sub specie clementiæ è carcere dimissus, ab vrbe iubetur abscedere.

℟. Desiderium animæ.

Lectio vj.

ILle verò cum Apitione, strenuò in Christi fide cõmilitone, Puteolos profectus, non cessabat viuificam Christi prædicare gratiam, & complures ad veritatis agnitionem perducere. Quod vbi resciuit Tertullus, missis satellitibus ad se reduci imperat: atque illi quidem Sanctorum manus lignis affigentes, illosque in dorso torquentes, eo modo ad Præfectum perduxerunt. Videns demùm Tertullus Onesimum à fide desciscere nolle, imò liberius, & constantius Christum Deum prædicare, virgis cęsum, membratìm contusum, postremò lapidibus obrui præcepit. Eius reliquias pia fœmina, Imperatoris Traiani, sub quo passus est, consanguinea, theca argentea conclusit, quæ deindè Ephesum, vbi Episcopus ordinatus erat, translatæ sunt.

℟. Stola iucunditatis.

Die xxvij. Martij.

IN FESTO
S. ALEXANDRI MARTYRIS.
SEMIDVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

ALexander, quem ciuem suum asserunt Puteolalani, cum Berianum Comitem, cum sua cohorte Romæ Idolis immolantem liberrimè increparet, à satellitibus comprehensus ad Maximianum Imperatorem adductus est. In illius conspectu cum Christianum se esse palam profiteretur, & varijs artibus modo promissis præmijs, modo pœnis obiectis, vt fidem abnegaret, diù tentaretur, in cælum aspiciens, vidit Dei filium, à cuius conspectu ita facies eius mirificè radiabat, vt à Christiana Religione illum àuertere Imperator omninò desperaret. Quamobrem Tiberiano Tribuno traditus est, vt longo, & ærumnoso itinere Bisantium abduceretur.

℞. Honestum fecit.

Lectio v.

IN via vario, atque acerbissimo pœnarum genere affectus, primum diù tortus est, saxis ingentibus ad pedes eius appensis, deindè in equuleo neruorũ compages, artuumquè soluuntur, tùm ardentibus admotis facibus latera aduruntur, & demùm spineis virgis cęditur, matre eius Poemenia semper sequente, & filij cruciatus conspiciente. Cùm autẽ Philippos venisset, Christiani, qui in ea Vrbe viuebant, occurrentes, eius vincula osculabantur. Ad Beriæ Vrbem aquæ penuria laborantem, postquàm limpidum fontem, suis precibus eduxisset, dùm impij satellites feruentis olei inspersione illum cruciare aggrediuntur, id in ipsos transfusum mirabilitèr eosdem absumpsit. Postremò cum Drisiparam, Thraciæ Vrbem, appulisset, ad præterfluentem fluuium capite obtruncatus, martyrij coronam gloriosè consequutus est.

℞. Desiderium animæ.

Lectio vj.

HOnorifico illic donatus ſepulchro, magna colebatur veneratione, donec ſub annum Chriſti ſexcenteſimũ Chaianus Rex Auarum., vir ferox, & barbarus inferiorem Pannoniam inuadens, Driſiparam Vrbem depopulatus, S. Alexandri Eccleſiam incendit, illius ſepulchrum argenteo coopertum tecto ſpoliauit, ipſumque corpus indignis affecit iniurijs. Deus autem ſui Martyris iniurias vlciſcens peſtilentiam languoris barbaris immiſit, & ſeptem filios Chaiani vno die per febrem, & inguinariam paſſionem, magnamque exercitus partem occidit, ita vt poſt triumphale gaudium de partis contra Romanos victorijs, lachrymæ, & luctus ſine conſolatione barbaros poſſiderent.

℟. Stola iucunditatis.

Die xxxj. Iulij.

IN FESTO

SS. ONESIMI, ERASMI, & Sociorum Martyrum.

SEMIDVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

ONeſimus in perſecutione Decij comprehenſus cum Alphio, Philadelpho, Cyrino, Eraſmo, ac tredecim alijs diſcipulis in Vaſconia; vbi Euangelicæ ſalutis ſemen diſſeminabat, ad Nigellionẽ Præfectum conducitur: in cuius conſpectu intrepide Ieſum Chriſtum diuino cultu adorandum aſſeuerans, maxillis lapide contunditur. Tũ reliqui eius exemplo exciti; Et nos etiam Chriſtiani ſumus, exclamant: diſcipulos ne dimittas impũnes, dum magiſtrum crucias: agedum coniunge nos eidem certamini, quorum eadem eſt ſententia. Adiungam vos, inquit Nigellio, nefario præceptori. Quare eos totum diem crinibus ſuſpenſos torquet.

℟. Sancti tui.

Le-

Lectio v.

POstridie Romam ligatis ad tergam manibus ad Decium missi, Licinio Valeriano traduntur: qui primùm Sanctos manibus, pedibusque grauissimo ligno deuinctis, in custodia haberi præcepit: vbi à sanctis Apostolis Petro, & Paulo (vinculis ex ipso con spectu resolutis) ad perferendos cruciatus inflammantur. Post aliquot dies in quæstionem vocati, Senatum vniuersum de vana idolorum superstitione reprehendunt. Tum Valerianus blanditijs agendum ratus, honores, diuitiasque pollicetur, si à Christo deficere in animum inducát. Sed vbi locum pollicitationibus non dari percepit, neruis acriter verberatos ad Diomedem Puteolorum Præfectum dimittit. ℟. Verbera.

Lectio vj.

TVnc Diomedes Onesimo: Num, ait, tu simplices adolescentiũ animos prauis dogmatibus decepisti? Ego, respondit, illos non decipi; sed ab ignorantia vendicans, in viam veritatis deduxi. His verbis accensus Pręfectus, ingenti lapide Onesimum comprimi iubet. Quare sanctus præceptor sanctissimam animam Domino commendans de tyranno triumphauit. Erasmus verò & tredecim cõdiscipuli extra vrbem capite plectuntur circiter Kalen. Augusti. Quorũ corpora à Christianis sepulta sunt: sed Erasmi corpus diuino monitu præmonstratum à S. Neophyto Episcopo Leontino asportatũ est, & in sepulchro Sanctorum Fratrum honorificè conditũ. ℣. Tanquam aurum.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 24.*

IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Oliueti, accesserunt ad eum disci-

puli eius ſecreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. c. 25.

DIſcipuli Dominum interrogant, quando hæc fierent, quodve ſignum aduentus ſui, & conſummationis ſæculi noſcerent? Et quia tria hæc in vnum quæſita ſunt, diſtinctis & temporis intelligentiæ ſignificationibus ſeparantur. Reſpondetur igitur primum de ciuitatis occaſu, & confirmantur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus poſſet obrepere. Venturi enim erant etiam eorum tempore, qui ſe Chriſtum eſſent nuncupaturi. Vt igitur fides peſtifero mendacio detrahi poſſet, admonitio præceſſit.

℟. Propter teſtamentum.

Lectio viij.

COnfirmat igitur eos ad tolerantiam paſſionum, fugæ, verberationis, interitus, & publici in eos odij propter nomen eius. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, & tantis inſurgentibus malis ſcandalizabuntur, & vſque in mutuum odium excitabuntur. Et falſi prophetæ erunt, multoſque ementita veritate peruertent: & abundante nequitia charitas refrigeſcet.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

SEd vſque in finem perſeuerantibus ſalus reſeruata eſt: ac tum per omnes orbis partes viris Apoſtolicis diſperſis, Euangelij veritas prædicabitur. Et cum vniuerſis fuerit cognitio ſacramenti cæleſtis inuecta, tum Ieruſalem occaſus, & finis incumbet; vt prædicationis fidem, & infidelium pœna, & metus ciuitatis

erutæ consequantur. Hæc igitur in eam vt fuerant prædicta, perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captiuitate consumpta est. Ac tum fuit digna non esse, cùm eiectis prædicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit. Te Deum.

Die. xviij. Octobris.

IN FESTO
S. PROCVLI MARTYRIS.
DVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

PRoculus Puteolanæ Ecclesiæ Diaconus, cum Præses Dracontius, Draconis more, Christianos vehementer insectaretur, ac Sosium Misenatem Diaconum, Proculo sanctitate, & familiaritate coniunctissimum, grauissimè cæsum in carcerem coniecisset, diuino zelo inardescens, atque ea charitate, quæ foras mittit timorem, Eutiche, & Acutio ciuibus eiusdem Ciuitatis Puteolorum comitantibus, ministros gentiles vltro adijt, eosque liberrimè increpauit. Itane (inquit) miseri, & dementes hominem benignum, & innocentem verberibus afflixistis, & tenebris addixistis, quia tenebrarum Principis noluit esse famulus? Ideo lucernam ardentem, quæ sub modio contegi non potest, carceris obscuritate voluistis extingui? Heù detestabile iudicium, heù execrabile factum, quod omnia iura manifestè condemnant. Quis aliquando legislator indixit, vt iustus condemnetur, aut innoxius puniatur?

℟. Notum fecit.

Lectio v.

HÆc audiens Dracontius Proculum, & comites simul cum Sosio sibi sisti imperat, & vndè (inquit) vobis tanta contumacia, & Principum contemptus? Si pœnarum vos fatuus allicit appetitus, efficiam, ne impunè

hæc veſtra cedat garrulitas. Cui illi, veſtram, ò Iudex, pro nihilo ducimus ſæuitiam, de ſideramus in Chriſti inueniri conſortio, quem vos inſanijſſe putatis, quatenùs cum eo vitam adipiſci mereamur æternam. Tum Dracontius Soſium ad ſe adduci iuſſit inedia, & ſqualore confectum, vt in eo aſpectu Proculum, & ſocios deterreret. Sed cum omnes tanta impietate magis confirmarentur, verberibus crudeliſsimè affectos in carcerem detrudi iubet, vt qui erant Religione, & animo, ita eſſent loco, & ſupplicio coniunctiſsimi.

℟. Deſiderium animæ.

Lectio vj.

DRacontio Timotheus Campaniæ Præſes ſuffectus, Ianuarium Beneuentanum Antiſtitem poſt grauiora tormenta eodem includit in carcere, ne tàm illuſtres Diaconi paris gloriæ carerent Epiſcopo. Deindè omnes in amphiteatrum eductos beſtijs obiecit. Sed cum Præſes beluinam feritatem induiſſet, beluæ in humanitatis ſenſum in omnium conſpectu traducuntur; etenim ad ſanctorum pedes, veluti oues mitiſsimæ procumbentes, illorum corpora non attigerunt. Præſes verò ad tanti fulgorem miraculi magis cæcutiens, eos capite plecti iubet. Atqui orãte S Ianuario, repente oculorum lumen amiſit, eoque iterum deprecante idem denuo recepit. Cùm verò quinque ferè hominum millia ad fidem conuerti videret, ingratus Iudex, in priſtina mentis cæcitate pertinacior, Ianuarium cum reliquis denuò iuſſit decollari. Aliorum corpora finitimæ Ciuitates ſumma exceperunt veneratione; ſed Puteolani S. Proculi corpus religioſiſsimè ſibi aſſeruarũt, eumque ſibi in peculiarem patronum adoptarunt.

℟. Stola iucunditatis.

Die iv. Nouembris.

IN FESTO
S. PATROBÆ EPISCOPI, & Confessoris.

SEMIDVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

PAtroba inter septuaginta duos Christi discipulos numeratus, cuius Paulus ad Romanos ijs verbis meminerat: Salutate Patrobam, Hermem, & qui, cum eo sunt fratres, Hippolyti Martyris testimonio Puteolorum Episcopus ordinatus, Apostolico functus munere, cæpit Christum Puteolanis incolis prædicare. Hanc turbulentissimam ferarum syluam ingressus, nunquàm destitit superstitiones, quæ radices altissimè per tot sæcula fixerunt, euellere, deprauatos mores corrigere, lasciuorum hominum licẽtiam ad Christianam continẽtiam reuocare; denique Deorum numina, vana demonstrare. Tandem cum multas Gentilium molestias, & insectationes magna animi constantia superasset, atque ad Christi religionem multos tùm exẽplo, tùm verbis conuertisset, Apostolica laude clarus, migrauit in cælum.

℞. Inueni Dauid.

Die vj. Nouembris.

IN FESTO
S. CELSI EPISCOPI, & Confessoris.

DVPLEX.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

CElsus à Petro Apostolo Puteolorum ordinatus Episcopus, celsitudinem, quá nomine præferebat, vita, & moribus exhibuit. Nam à teneris annis curis omnibus exolutus, cælestem in terris vitam instituit, orationi deditus, die, nocteque precibus insistebat, nihil se præter Christum, & hunc crucifixũ scire profitebatur. Post acceptam sacri Chrismatis vnctionem adeò sibi temperauit, vt nullis vnquam contumelijs

prouocatus ad iram, nullis laudibus ſit ad ſuperbiam elatus; ſed gregis ſibi commiſsi vtilitati, quemadmodum de Paulo Apoſtolo dicitur, cum omni humilitate, & lachrymis ſeruiebat.

℞. Inueni Dauid.

Lectio v.

ERat tunc Puteolana ciuitas antiquis Ethnicæ ſuperſtitionis inuoluta erroribus, atque inter Baiani littoris delicias indignis voluptatibus dedita, vndè, & Chriſtianæ Religionis puritatem, & Paſtoris ſanctiſsimi monita obſtinatiſsimè reſpuebat. Quamobrem incredibile dictu eſt, qua conſtantia in euellendo inanium Deorum cultu labores plurimos ſuſtinuerit, quo ſtudio ad ſuorum Ciuium à veritatis via aberrantium ſalutem incubuerit, qua patientia flagitioſorum hominum, qui eum è medio tollere ſatagebant, inſidias, & machinationes pertulerit.

℞. Poſui adiutorium.

Lectio vj.

ELucebat in eo præcipuè charitas erga proximũ, ita vt non amicos ſolum, ſed etiam inimicos diligeret, quibus beneficia pro maleficijs, rependebat. In egenos tanta commiſeratione ferebatur, vt quicquid haberet, pauperibus erogaret; quam benignitatem in inopes ab ipſa pueritia præmonſtrauit. Inter hæc, aliaque pietatis opera cum plurimos ab idolorum cultu ad Chriſtianam religionem, tum exemplo, tùm concionibus traduxiſſet, Puteolanâ Eccleſiâ inter ingentes perſecutionum procellas ſanctiſsimè gubernata, ad cæleſtem gloriam euolauit, meritò poſtea in peculiarem patronum à Puteolanis adſcriptus. Eius corpus Puteolis honorificè aſſeruatur in Eccleſia eiuſdem nomini dicata.

℞. Iſte eſt, qui.

L A V S D E O.

Die xxxj. Iulij.

IN FESTO SS. ONESIMI, ERASMI, & Sociorum Martyrum.

IN MISSA.

Introitus.

SAlus autem iustorum à Domino: & protector eorum est in tempore tribulationis.

Psal. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

DEus qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Onesimi, Erasmi, & sociorum solemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum &c.

Lectio epistolæ B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Cap. 10.

FRatres: Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. Et in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantiũ effecti. Nam vinctis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt

voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide viuit.

Graduale.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

℣. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. Alleluia, alleluia.

℣. Te martyrum candidatus laudat exercitus Domine. Alleluia.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 24.

IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes. Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Iesus dixit eis: Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducent. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte, ne turbemini. Oportet enim hęc fieri: sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia, initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabũtur multi, & inuicem tradent: & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ surgent: & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Offertorium.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis

lis insipientium mori: illi autem sunt in pace: Alleluia.

Secreta.

OBlatis quæsumus, Domine, placare muneribus: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Onesimo, Erasmo, & socijs, à cunctis nos defende periculis. Per Dominum nostrum.

Communio.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Postcommunio.

HÆc nos communio Domine, purget à crimine: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Onesimo, Erasmo, & socijs, cælestis remedij faciat esse consortes. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

Decreta Congreg. Sacrorum Rituum pro recitando Officio Sanctorum Onesimi, & Sociorum.

Officium hoc semiduplex de communi plurimorum Martyrum cum proprijs lectionibus secundi Nocturni Sanctorum Onesimi, Erasmi, & sociorum martyrum, inter alia Sanctorum officia pro Ciuitate Leontina, à sacra Rituum Congregatione approbatum est sub die 15. Martij 1608.

Eadem sacra Rituum *Congregatio ad instantiam Capituli & Cleri Ciuitatis Puteolanæ, vbi dicti Sancti coronam martyrij susceperunt, etiam approbauit, & concessit, vt in dicta Ciuitate, & diœcesi Puteolana ab omnibus Clericis regularibus & secularibus liberè & licitè recitari possit, & valeat; & ita declarauit die 27. Iulij 1609.*

Dominicus Episcopus Ostiensis Cardin. Pinellus.

Locus sigilli.

Io: Paulus Mucantius Secretarius Congregationis.

Decretum eiuſdem Sacræ Congregationis pro reliquis Officijs.

Supraſcriptas Lectiones pro SS. Alexandro, & Proculo Martyribus, Oneſimo martyre, & Epiſcopo, Patroba, & Celſo Epiſcopis Eccleſiæ Puteolanæ, de mandato Congregationis S. Ritibus præpoſitæ ab Eminentiſsimo, & Reuerendiſsimo D. Card. Franciotto reuiſas, & recognitas eadem S. Congr. quoad SS. Proculum, & Celſum ſub ritu Duplici, & quoad alios Semiduplici, pro eadem Eccleſia approbauit die xiij. Martij 1649.

A. Card. Capponius.

Locus ✱ ſigilli.

Hieronymus Boncompagnus Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

OFFICIA,

Quæ hoc libello continentur.